

POSITIONES,

DE QUIBUS,

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS.
IMP. UNIVERS. LITT. ABOËNS.

STIPENDIARIOS EXERCENDI GRATIA

PUBLIC DISPUTATURUS EST.

Mag. FREDR. WILH. PIPPING,

HIST. LITT. PROF. P. O., PRÆFECTUS BIBLIOTHECA
ATQUE UNIVERS. H. A. RECTOR.

RESPONDENTE

ERICO FROSTERO,

Stipendiar. PUBL. OSTROB.

In Auditorio Philosoph. die XII Maji a. MDCCXXIV.

Emblema vittatum horis 2, m. confuetis.

WILHELM WILHELM WILHELM WILHELM WILHELM WILHELM WILHELM

BRUNEL SIR, CHAOS IS AN ORDER OF THINGS.

coordinación, sólo que una combinación de personas

2023 RELEASE UNDER E.O. 14176

ABOÆ, Typis FRENCKE

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Thesis I.

Prolixam Historicorum rationem, qui in vitis, cogitatis, dictis scriptisque singulorum hominum contemplandis, quorum opera aliquid aliquando creverit vel disciplina bonarum artium quædam, vel universum litterarum studium, versantur, parvi habentes, sunt qui Historiæ litterarum Universalis scriptori in illis similibusque specialis narrationis momentis subsistendum omnino non esse existiment, si uno judicio comprehendendos litterarum per saecula progressus serie nunquam erupta exponere, plenamque adeo ac perspicuam generis nostri, præstantissimarum quibus naturæ gaudet beneficio facultatum cultura sibi prospicere studentis, speciem reddere velit, unde quantum in cognitione rerum necessaria atque vere frugifera profecerimus, facili negotio colligere liceat. Quemadmodum autem regionis cuiusdam imaginem in tabula delineaturus vivam nemo, consideranda quævis nudis verborum signis denotat, sed campos, arva, prata, silvas, montium iuga, amnes, lacus & cætera, quibus vel natura terram eam distinxit, vel industria humana ornavit, suis formis dignoscenda justo ordine depicta sistit; ita fidem narrationis facturus qui fata litterarum persequitur, non sua de conatis quibusvis aliorum, in scientia humana amplificanda certioreque reddenda conspicuis, judicia interponat, quin ipsos agentes velut ac loquentes posteritatis judicio æstimandos committat.

Thes. II.

Thes. II.

Haud minoris vero cum sit prudentiae atque sagacitatis, videre ne placitis aliorum justo plus tribuamus, quam a proprii judicij iniquitate in rebus iisdem aestimandis cavere; in utramque partem haud raro peccatur, cum ab iis, qui Historiae litterarum omnes numeros obire se putant, dictorum, factorum scriptorumque notatione cumulatissimam doctorum hominum quorumvis exhibentes vitae memoriam, tum praepostero eorum consilio Historicorum, qui omnia ad suum referentes arbitrium, & de iis tantum quae sibi maxime placuerint delibantes aliquid, papilionum instar carissimos sibi flores osculantium, per campum Historiae qua latissime patet amplissimum passim volitant, neglectis quae ut multi sudoris atque plurimae operae sunt, ita levem jucunde pascere animum non valent.

Thes. III.

Instituendum tamen non est, ipsam rerum commemorandarum copiam, & huic amplectendae aut nunquam aut raro parem facultatem humanam, vel consummatae sapientiae sincerissimaeque fidei scriptori difficultates obstruere gravissimas, quibus impeditus universam litterarum Historiam conditus vix ac ne vix quidem sine offensione se expedire valet. Acerrimam ut taceamus ingenii vim amplissimamque eruditionis copiam, quibus instruatum esse oportet eum, qui immensam rerum illarum varietatem aequo simul atque certo aestimare poterit judicio, adeo ut graviora necessariaque a levioribus facileque mittendis discernens, nec nimis, nec parum, vel rebus enarrandis, vel sibi, vel etiam aliis ex suo ingenio eas judicantibus, tribuat; operis etiam quantum fieri poslit, oculis in meta indesinenter fixis, ita maturandi necesitas, ut nexum omnium memori recondendorum animo longioris non solvat demonstrationis mora, facile impedit quominus accurata fatis explicatione singula illustrentur, quae minus quidem clarum occupantia locum, parum inter cætera eminent, sed maxime tamen necessaria sunt, ut in ordine eventuum constitudo, ita ad plenam horum notionem animo informandam.

Thes. IV

Theſ. IV.

Mirandum igitur neque eſt, in notandis litteratorum hominum dictis factisque, ad faciem hujus vel illius scientiae mutantam conferre viſis, perquamdiu occupatos Historiæ Litterariæ scriptores, ſero admodum animum applicuife ad condendam Historiam Universalem, quæ ab incunabulis litterarum ad noſtra haec tempora fæculorum decurſibus deducta, omnes zetates, gentes atque disciplinas, nec non omnia quæ ad ſtudium litterarum vel promovendum vel retardandum momentum aliquod attulerint, complectereſtur.

Theſ. V.

Quemadmodum autem unius vix eſt hominis, tantam plurimarum disciplinarum atque rerum ad intelligentiam earundem facientium diverſitatem scientia percipere, quanta Historiam talem litterarum Universalem ſuopte ingenio ſuaque cognitione & experientia ducibus contexturo conſideranda eſt; ita paucorum quoque hominum, fata litterarum ſcire cupientium, intereſt per omnem singularum artium copiam vagari, ſed plurimos juvat, vel studio earum omnium quantum debeat ad cultum atque humanitatem tendens genus mortalium, vel vices quarundam ſibi maxime arridentium, diſcere. Quare in id maxime enitendum eſt ei, qui in hoc ſcribendi genere verſetur, ut facilem conſpectum ſtudii, in generis noſtri ſalute litterarum ope promovenda poſiti, præbeat.